


4957. 4981), quorum item vices agunt *praefecti aedilicia potestate* (n. 4459. 4468. 4904). *Quaestores* reperiuntur tam *aerarii* (n. 4444. 4459) quam *alimentorum* (n. 4384), plerumque nude (n. 4212. 4368. 4386. 4408. 4413. 4420. 4443. 4471. 4475. 4487. 4495. 4957), sed ut inter honores quaestura sit certumque locum obtineat. — *Defensor rei publicae Brixianorum* nominatur n. 4459. — Ex sacerdotiis maioribus *pontifex* saepe invenitur (n. 4192. 4368. 4373. 4374. 4462); contra raro *augur* (n. 4368). Adsunt item *flamines divi Iuli* (n. 4384. 4459), *divi Augusti* (n. 4386), *divi Traiani* (n. 4368), *sacerdotes feminae divae Iuliae Augustae* (n. 4458, si recte emendavi) et *divae Plotinae* (n. 4387. 4485); quibuscum iungendi *flamen perpetuus sacerdos urbis Romae aeternae* n. 4484, *sacerdotalis*, qui item dicitur *principalis omnibus honoribus functus*, n. 4333. Minoris dignitatis sunt *sacerdos XVviralis* mulier n. 4400, item *mater synagogae Brixianorum* n. 4411. — *Sexviri Augustales* (rarius *sexviri* nude) passim reperiendi Brixiae in praecipuo honore videntur fuisse; nam quamquam etiam libertini multi ad sexviratum pervenerunt (ut n. 4401. 4403. 4429, in quibus titulis patroni nomen enuntiatur, cum in aliis multis sola cognominis forma libertinitatem prodat), tamen ingenui, etiam tribum rusticam habentes plerique in eo numero inveniuntur adeoque sexviri aliquot postea ad decurionatum magistratusque proveci (n. 4212. 4393. 4457), quem processum paucae tantum respublicae admiserunt. Sexviros hos *ex permissu divi Pii arcam habuisse* intellegitur ex n. 4428, qua propter, ni fallor, appellantur *sexviri Augustales socii* in eodem titulo similiterque n. 4203, *collegium sexvirum soccorum* n. 4410. Sexviros *gratuito* factos habes n. 4431. 4439, *iterum factos gratuito* n. 4480, *iterum factos decurionum decreto* n. 4405. Duo *curatores ordinis* eius nominantur n. 4203, *quinquennales* fortasse n. 4449. *Sexvir Flavialis* n. 4968 utrum ad Brixiam pertineat an ad Camunnos, incertum est. — *Collegium iuvenum* nominatur n. 4355, *sacerdos eius primum institutus* n. 4416, alius n. 4459. *Collegia* duo *fabrum* et *centonariorum* saepe memorantur et quidem plerumque coniuncta, ut sub eodem *curatore* sint (n. 4333) et simul manumittant (n. 4422 *Fabricii Centonii collegiorum liberti*) titulosque una dedicent (n. 4368. 4386. 4396. 4397. 4406. 4408. 4416. 4454. 4477. 4483. 4488), quamquam alibi seorsum nominatur tam *collegium fabrum* (n. 4048. 4391. 4433. 4448. 4489) quam *centonariorum* (n. 4324. 4387. 4415. 4426. 4452. 4491. 4498) quique rem legatumve collegiatis relinquunt, relinquunt non collegiis illis, sed alteri utri eorum (n. 4391. 4433; cf. n. 4488. 4489). *Officiales* sive *magistri* (promiscue enim vocabula ponuntur) collegii centonariorum adsunt n. 4488. 4489 (cf. n. 4449: *in omnibus collegiis magisterio perfunctus* et *magister[io] eorum offic[io] functi*). Rarius nominantur *collegia dendrophorum* (n. 4388. 4418. 4477), qui ob immunitatem sibi confirmatam patronum honorant (n. 4341) et cum fabris centonariisque sub eodem patrono sunt (n. 4477; cf. n. 4484 *patronus collegiorum omnium*); *iumentariorum* n. 4211. 4294; *pharmacopolarum publicorum* n. 4489, ut mittam *collegia domestica Larum* n. 4340. 4432. 4440. Accedunt *lanari coatores* n. 4504. 4505, *lanari pectinarii* n. 4501; quibus addere potes *fabrum tignuarium* n. 4216, *sarcitorem* n. 4509 similiaque. — Tribum Brixianorum Fabiam fuisse tituli passim patefaciunt tam Brixiani quam externi (Grotefend imp. Rom. trib. discr. p. 40).

4197 litteris pravis, sed certis. Roncadelle III m. p. a Brixia ad ecclesiam omnium sanctorum GNOCCHI. Ibi fuit in domo Antoniae Cerutti, nunc est Brixiae in museo.



ALO
SEX · NIG
SOLLONIVS
5 V · S · L · M

Contuli. Habent Gnocchi ms. p. 189 (inde Donat. 55, 3; Orelli 1957 cum adn. Labusii); Ioli cat. mus. f. 43; Labus p. 97 n. 137.

Ager Brixianus quatenus pervenerit cum satis definiri non potuerit, hoc capite praeter urbanae originis nos comprehendimus titulos eius regionis, quam proprie Brixianorum fuisse ambigi nequit, nempe ad occidentem quidquid inter urbem et lacum Benacum in agro Salodiensi repertum est, ut Lonati et Desenzani inventi contributorum cum Sirmionensibus (cf. p. 400), reperti ad Fasanum et ulterius seorsum in capite Benacensium proponerentur. Ad meridiem cum difficile sit terminum stabilire inter Brixiam et Mantuam Cremonamque, repertos Bagnoli et ultra composuimus c. XLIV, quamquam vix dubium est plerosque eo capite comprehensos et ipsos ad Brixiam recte referri. Bergomum versus ad Ollium et lacum Iseum substitimus, ut reciperentur tituli reperti Clusane et Isei Marazzinensi n. 4935 reiecto inter Camunnenses; in valle Trompia ad Concesium. In hac suburbana regione vici nominantur *vicus Herc(uleus)* n. 4488, *castellum Ingenan* . . . n. 4488, *vicus Minervius* tribus titulis, quorum primus n. 4421 innotuit ex ipsa urbe; secundus n. 4450 eruderatus est Nave, ubi et alii tituli non pauci reperti sunt et honorarii duo ad domus imperatorias Iuliam et Claudiam spectantes n. 4309. 4311; tertius n. 4451 Lograti loco longe inde remoto. Denique notabile est Erbusci, qui est pagus XIII m. p. Brixia ad occidentem, item Pievedizii, qui est pagus X m. p. a Brixia ad meridiem, aedificia nescio quae facta esse a C. Caesare dictatoris filio c. a. u. c. 710. 711 (n. 4305. 4306). Prope Erbuscum autem fuerit necesse est statio Tetellus, distans secundum itinerarium Hierosolymitanum denis m. p. tam a Brixia quam a Tellegatis, hodie Telgate. — Seorsum composuimus titulos civitatum quattuor Benacensium (circa Toscolano vicum ad lacum), Sabinorum (*val Sabbia*), Trumplinorum (*val Trompia*), Camunnorum (*val Camonica*), item repertos Rivae ad summum lacum Benacum et supra Rivam in valle Giudicaria. Civitates Vardagatensium et Dripsinatium, quarum curator et patronus homo Brixianus nominatur n. 4484, quo loco fuerint adhuc ignoratur, ut ne hoc quidem constet in partibus Brixianis eas quaerendas esse (vide ad n. 4484). Illarum vallium tituli eo magis separandi fuerunt, quod Brixianis attributae quidem fuerunt, sed ut manerent ibi civitates antiquae aliquam rem publicam habentes. Quid quod Camunni certe tribum suam Quirinam habebant, non Fabiam Brixianorum, et duoviros suos iure dicundo. Ceterum quae ratio inter civitates attributas et rem publicam cui attributae fuerunt intercesserit, nec facilis nec brevis quaestio est neque omnino ea quae hoc loco institui possit, nedum absolvi. Nos praeter ea, quae in praefationibus capitum sequentium attigimus (cf. item n. 532 ibique adnotata), hoc unum monebimus incolas illarum civitatum munera honoresque Brixiae ita capessivisse videri, ut ad summum Ilviratus honorem non admitterentur; certe magistratus Brixiani ibi non inveniuntur nisi praefecti iure dicundo, aediles, quaestores. Rei publicae autem, quae honorem aliquem alicui tribueret, eo nomine pecuniam certam solutam esse itaque rem publicam redditum aliquem a civibus ita sibi attributis percepisse et aliunde apparet et ex titulo n. 4981 aedilis Brixiani decurionisque, qui decurionum decreto extra ordinem honorem gratuitum accepit.

4198 Brixiae ad S. Faustinum ad parietem claustrum prope stabulum et sub porticu MED.; in aedificatione nova S. Faustini ARRAG.; nuper rep. in monasterio S. Faustini maioris NAZ. 1562; *nel giardino di S. Faustino incastrata nel muro riguardante a mezzogiorno* GNOCCHI.

DEO · ALO
S A T V R N O
SEX · COMMO
DVS · VALERIVS
5 V · S · L · M

Arragonensis ms. n. 128 = 139 eodemque exemplo Mediceus in add. n. 284 et Totti p. 101 n. 280; Nazarius 1562 p. 44 (inde et ex Rossii schedis Grut. 1009, 11); Rossi p. 136 = Vinaccesi 135 (inde Spon. misc. p. 115; Marini Arv. tab. 66; Orelli 1510); Gnocchi ms. p. 128 (inde Donat. 33, 1); Zamboni *pubbl. fabbr. di Brescia* (1778) ante praefationem dedit in ornamentis depictam; Aur. Guarnieri Ottoni, qui vidit lapidem, in epistula ad L. Aricium data Venetiis 23 Iul. 1787 (inter Brognoli ms.). A prioribus Labus p. 97 n. 136, citans etiam Gagliardi schedas.

1 DCO pro DEO Zamboni. — ALO Arr. Med. 2 Totti Rossi (Grut.) Zamboni et sic Rossium reprehendens Vinacc., ALO Guarn., MALO Gnocchi, AVLO Med. 1 Naz., ARVALO Rossi (mem. Brix.) et sic 'forte ARVALO' Tottius in margine. — 3 COMO Med. Naz. — 4 VALERIV Arr. Guarn., VALER Med., VALERIVS reliqui.